



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Otho Ep. Pomeran. Apost. 2. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

420 VITÆ SANGTORUM. 2. Iulii.  
betha, Domini Matrem salutare, quæ  
Ancilla venerat, super omnes illam mu-  
lieres efferre, ipsum cum primis laudibus  
in cælum tam sancti uteri hospitem tol-  
lere. Itaque oraculis domus personare,  
Virgo lætitiâ etiam ipsa exultans, quæ  
Deum magnificaret, canere carmen, cui  
omnem palmam vates concedent. Certè  
ut Superi delicati sint (quippe dulci sem-  
per Musicæ affueti) tunc tamen terræ  
cantus probarunt: nec hodie puto faci-  
lius aures Marianis præbent, quàm MA-  
RIAM MARIM verbis laudantibus,  
tunc præsertim, si vox Virgo accedat,  
quam dicere ausim tam libenter audiunt  
Angeli, quàm nos Angelorum audimus.  
*Ex Hist. Evang.*

*Sit in singulis Maria animo, ut magni-  
ficet Dominum; sit in singulis spiritus Ma-  
riae, ut exultet in Deo: nam et si secundum  
carnem una mater est Christi, secundum fi-  
dem tamen omnium fructus est Christus.*  
S. Amb. 1. 2. Com. in Luc.

S. OTHO EP. POMERAN. APOST.  
2. Iulii.

OTHONEM Pont. Bambergæ Suevia  
donavit. Præter Xenodochia, stru-  
ctaque vel reparata templa quampluri-  
ma, monasteria exædificavit XXI. Ho-  
minum Deo sacratorum aspectu præci-  
pue delectatus, gaudebat his sive sacri-  
fica-

2. Julii. VITÆ SANCTORUM. 421  
ficaturis, sive ad mensam accubituris  
ministrare & fercula osculo condire. In  
Pomeraniam cum movisset superstitio-  
nem expugnaturus, multæ illi pugna-  
fuere, sed victor, etiam cum vapularet,  
abivit. Tandem manus dedit Regio, post-  
quam Pont. verbis blandis & munuscu-  
lis captos duos adolescentulos, illi alios,  
hi alii iterum alios & parentes denique  
ipso ad sacra nostra induxerunt. Ita post  
OTHONEM Apostolos Pomerania pue-  
ros habuit, quos, ubi sacro fonte lustra-  
ti sunt, à profanorum societate remotis-  
simos voluit, ut neque jam lusus illis  
communis esset, quorum mores dissimi-  
les esse oportebat. Bambergam redux vi-  
tam reliquam ege norum subsidio porro  
impendit, magno operæ pretio. Nam  
vidit nonnemo in altissimo monte (O-  
lympum dices) ab omni ætatis & se-  
xûs hominibus palatium OTHONI È  
solidis gemmis adornari. Quid igitur  
superbia architectos toto orbe conquiris,  
ut cælum tibi in terris struas, quando ob-  
vios hos quotidie habes? Si nescis, cæci  
sunt, qui aream rectè designabunt: clau-  
di sunt, qui tam pulchra saxa convehent;  
manci debilesque rectè absolvent, & in  
cælum tam nobile ædificium educent.

Ex DD. Bamberg. Gretseri.

Dulcis Domini JESU memoria, ò juve-  
nis! fixa semper inhæreat in mente tuâ:  
ut exercitationis tuæ cursus palma coro-  
nam

Dd 3

422 VITÆ SANCTORUM. 3. Iulii.  
nam accipiat. Tempus enim instat, in quo  
strenui præmia, ignavi ignominiam acci-  
pant. S. Ephrem de Exercitatione.

S. LANDFRANCUS EP.  
3. Iulii.

**N**obiles cunas LANDFRANCUS Pa-  
piæ Italiæ urbe habuit nobiliores  
nutrices, Musas. Harum in sinu non  
profanam modò, sed & sanctiorem sa-  
pientiam imbibit, ut *Lumen Magisterque*  
Theologorum jam tum audiret. Sed po-  
terat hic Magister amplius in fortunæ lu-  
do quid discere. Ecce enim dum Gallias  
petit, in uno omnes captivæ bonæ ar-  
tes abducuntur. Tulit ægrè ab initio ser-  
vitutem tam liberaliter educatus; ob-  
strepentibus puto in vinculis, liberiore-  
bus, è novem, Sororibus. At rectius  
severiores monuere. Et, nimirum, age-  
bant, hoc tu fortunæ didactrum etiam Ma-  
gister debebas; discipulus sanè hujus, si  
in captivo liberum errare animum nescias.  
Si poëta, absolves fabulam: si orator,  
persuadebis animo deditioem. Iam Phi-  
losophus Orbem, etiam in hoc angusto  
carcere perambulabis; denique si *Lumen*  
es, si *Magister*, pulchrius in tenebris lu-  
cebis, & Deum è vinculis laudabis. Ad  
hæc LANDFRANCUS tam capit amare  
servitutem, ut amissus ex hac continuo  
cœnobio se mancipaverit, utque in scholâ  
tam